

Illa tamen quem nam flavescens præbeat usum
 Massa? foret certe nil nisi pondus iners;
 Nec multum ferro, aut lapidi præstaret honore
 Quamvis pura, expers & penitus maculæ:
 Ni flamma ex acri eductam, ardentique camino
 Artificum durus torqueat ille labor;
 Extendatque trahens productam in mollia fila,
 Gallica queis tenui foemina pingit acu
 Purpureas Regum vestes; incude gementem
 Vel super, & multo verberare perdomitam
 Diducat lamnam in tenuem, lenique ciendas
 Languentis Zephyri flamine bracteolas;
 Queis altum possit pulchre fulgere lacunar,
 Tela vel artificis picta nitere manu.
 Quid? niveum marmor non ferro cedere acuto
 Instat Dedalea clarus ab arte faber,
 Ille nihil parcens: validis late sonat aura
 Ictibus, inque orbem fragmina dissiliunt;
 Donec ab informi saxo vel Matris imago
 Jesseæ, juvenis forma vel aligeri
 Exit, spectaclum populis, arisque locanda.
 Quid tellus? multis faucibus vulneribus
 Ni rastrumque ferat patiens, & vomeris unci
 Dentem, hirsuta rubis horreat usque, sinu
 Nec pingues pleno spicas, nec dulcia poma,
 Nec foetus possit fundere vitigenos,
 Nec dici omniparens, lucisque efferre sub auras
 Et Tam varia hæc nostris usibus apta bona.
 Illi Hem, quod aquæ, fulvumque aurum, quod marmor, & alma
 Tellus, ærumnis scilicet hoc homines
 Illi Debemus, quæ nos agitant, versantque, premuntque,
 Atque modis torquent omnibus, eradiant
 Sed tamen, & sordes abstergunt, & bona puro in
 Pectore virtutum germina progenerant,